FLORA.

№ 35.

Regensburg. 21. September. **1844.**

Inhalt: Hasskarl, Plantarum javanicarum aut novarum aut minus cognitarum adumbrationes. (Continuatio.)

Klein. Mittheilungen. Fée, über das Mutterkorn und einige andere Schmarotzer der Kornähren.

Anzeigen von Hofmeister.

Plantarum javanicarum aut novarum aut minus cognitarum adumbrationes. Auctore J. C. Hasskarl.

(Continuatio.)

Melastomaceae RBr. Endl. Gen. 1205. Ench. 645.

Melastoma polyanthum Bl. et γ. fl. albo!

Quoad Gen. cf. Endl. Gen. 6219.

Quoad spec. cf. Bl. Bydr. Nat. Wet. VI. 224. 2. et Wlp. Rprt. II. 132. 1. ubi et cit. reliq. except. cit. Rumph. amb. IV. 137. t. 72., quod a Wght. et Arn. Prdr. I. 324. 1001. ad M. malabathricum ductum, a nostro habitu sat diversum!

Caulis fruticosus erectus ad 7 — 8 ped. altus; rami adulti subteretes cinerascentes; cortice suberoso laevi, libro viridi, ligno albido-sericanti, tubo medullari mediocri, erecto-patentes, plerumque dichotomi, saepe oppositi, juveniles tetragoni squamulis acuminatis ferrugineo-brunneis tecti indeque scabri; folia opposita breviter petiolata; petioli semiteretes virides supra rubentes squamulis adpressis tecti, marginibus setoso-ciliati 0,4 — 0,5 poll. longi, 0,1 poll. lati, ad basin utrinque setis 3 — 4 rubentibus stipulas simulantibus cincti; lamina ovato-oblonga 3-nervis, cum 2 nervis lateralibus, basi rotundata, apice acuminata 2 — 3 poll. longa, 1 — 1,2 poll. lata, margine setoso-serrata, supra minute strigoso-hirta, subtus in nervis eorumque ramificationibus setoso-paleacea et inde lamina tota subtus pubescens; inflorescentia corymboso-paniculata terminalis (aut potius in summo ramo axillaris); rami singuli inflorescentiae tetragoni paleaceo-squa-

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0179-1

mulosi trichotomi triflori aut rarius 2 — 1-flori, ad basin pedunculorum 2-bracteolati, bracteolae ovato-acuminatae marcescentes; pedunculi 0,25 poll. longi teretes cum calyce dense imbricato-squamulosi, squamulae lineari-lanceolatae, apice membranaceae, nitentes ciliolatae adpressae; calycis tubus turbinato-campanulatus ad partem tertiam inferiorem cum germine connatus, supra hanc ei arcte adpressus; limbus 5 — 6-fidus-laciniae ovato-acuminatae rubentes, denticulis setiformibus interpositis, ante anthesin conniventes, in anthesi patenti-erectae, post anthesin deciduae; petala 5 — 6 calycis laciniis majoribus alterna, limbo calycis intus in torum producto inserta obovata breviter unguiculata, albo-lilacina aut kermesina 5-nervia integerrima diurna, ante anthesin convoluta; stamina 10, quorum 5 majora fertilia cum minoribus alternantia et calycis laciniis majoribus opposita; filamenta complanata sulphurea; antherae ante anthesin deflexae inter germen et calycem sitae, dein assurgentes, 5 minores erectae sulphureae curvatae, articulatione filamentis impositae, connectivo basi productiore bigibboso, 5 majores connectivo maximo basi bigibboso semiorbiculari albido filamentis articulatim insertae lilacinae introrsae, omnes apice poro unico dehiscentes 2-loculatae; germen basi tantum calyci adnatum obtuse pyramidale 10 — 12-gonum, minute adpresseque setosum, vertice pilis erectis styli basin cingentibus eique adpressis coronatum, 5 — 6-loculatum; gemmulae plurimae in trophospermiis dissepimento adnatis triquetris sessiles, eaque tota obtegentes; stylus suberectus apice adscendens, teres crassiusculus pallide-roseus; stigma indivisum viride, nitidum, setosum; hilus stylaris profundus, margine ciliato cinctus; fructus capsularis, calyce persistente cinctus, ad medium cum illo connatus, dein ab ipso arcte inclusus viridis, cicatrice carpica spuria purpurea pilosa, apice pilis erectis, coronulam fingentibus praedita, cicatrice stylari profunda annulo et puncto centrali purpureis, roseo-lutea; capsula baccata, irregulariter loculicide dehiscens, septis valvarum haud evanidis axin centralem attingentibus, trophospermiis carnosis atrosanguineis; semina plurima minuta reniformia albescentia (?) nitida, spermophora dense obtegentia; embryum curvatum; cotyledon una ab altera majore subinvoluta. — Nomen sundense: *Harendong gunung* (Melastoma montanum) et varietas fl. albido: *H. g. boddas* (album).

Medinilla hypericifolia Bl.

Quoad spec. cf. Bl. Bydr. nat. wet. VI. 254., de citat. rel. cf. Wlp. Rprt. II. 142. 11.; adnotandum autem est, flores inflorescentiae centrales pentameros

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0180-2

esse, dum laterales tetrameri sunt. — M. crassifoliae Bl. Wlp. l. c. 7. magnopere affinis.

Fruticulus; rami teretes verrucosi nodoso-articulati; folia opposita sessilia oblonga aut ovato-oblonga acuminata aut acuta, basi cordata et inde caulem amplectentia, triplinervia, nervo medio basi crasso rubro, supra basin (0,2 poll. altit.) nervos binos laterales emittente, carnosa glaberrima supra opaca atroviridia, subtus pallidiora sublucida, integerrima, margine subrevoluta; inflorescentia lateralis aut axillaris solitaria, bina aut terna, umbellata aut umbellato-racemosa; pedunculus communis cinnabarinus 0,7 — 1,0 poll. longus, basi bracteolis binis ovato-lanceolatis rubro-viridibus 0,1—0,25 poll. longis praeditus; umbella 5-radiata, involucrum tetraphyllum una cum pedicellis calycibusque cinnabarinum; foliola ovata acuta; radii laterales 4- aut 1-flori ad basin calycis 2-bracteati, aut 3-chotomi ad basin pedicellorum bracteolis minutis ovatis acutis adpressis donati; radius centralis aut 1 — 3-florus aut iterum 3-chotomus, hinc inde radiis secundariis denuo trichotomis; calyx subglobosus aut potius urceolatus, limbus ultra germen productus persistens truncatus, tuberculis 4 — 5 dentiformibus minutissimis albido-coloratis notatus (in praefloratione 4 — 5-dentatus) glaberrimus; torus membraniformis albidus petala et stamina gerens; petala 4 — 5 contorta erecta obovata albido-diaphana glaberrima lucida exserta; stamina 8 — 10 aequalia; filamenta complanata replicato-inflexa et per primam anthesin; antherae inde primo pendulae dein erectae basi attenuatae apice roseo-violaceae obtusae aut subrotundatae (obovatae) poro unico dehiscentes; germen globosum basi ultra medium calyci adnatum, vertice glabrum 4 — 5-loculatum; stylus filiformis staminum longitudine; stigma simplex punctiforme. — Nomen sundense: *Harendong mengando* (Melastoma loranthaceum aut potius parasiticum).

Kibessia azurea DeC.

Quoad Gen. cf. Endl. Gen. 6265., sed antherae haud *ovatae* sed *sagittato-cordatae* flavae.

Quoad spec. cf. DeC. Prdr. III. 196. 1. Bydr. nat. wet. VI. 265. (Melastoma Bl. Bydr. 1079.). Addenda et emendanda haecce:

Rami teretes cinerascentes, summi virides alato-tetragoni, alis versus apicem ramulorum rubentibus; folia ovato- aut ovali-oblonga basi haud attenuata sed rotundata hinc inde et subcordata, apice in acumen vix pollicare producta, cum hoc 3,5 — 4,0 poll. in adultis longa (juniora ad apicem ramulorum azureo-violacea 1,2 poll. longa,

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0181-8

(acumine 0,5 poll. longo) 1,5 — 2,0 poll. lata opposita, petala convoluta transverse ovalia, apice mucronulata, azurea; germen calyci stellato-muricato totum adnatum! — Nomen sundense: *Harendong* (Melastoma) nec *Kibössi* (lignum ferreum) uti erratim vult Bl. Bydr. l. c., nomen et variis aliis arboribus commune, qua re ad nomen genericum, hanc arborem significans, nullo modo aptum! — cf. Hsskl. Catal. 1152. adnt.

Memecyleae DeC. Endl. Gen. 1222. Ench. 647. Wlp. Rprt. II. 148. Wght. Arn. Prdr. I. 318. DeC. Prdr. III. 5.

Autores germen 1-loculatum laudant, gemmulis 4 — ∞, mihi tot, quot gemmulae, loculos habere videtur! DeCandolle jam baccam 2 — 4 loculatam dixit et Wght. et Arn. (Prdr. I. 319.), qui hunc obvie errasse putant, seminis testam pro nucleo fructus habentem, pagina antecedente ipsi fructum baccatum plerumque *abortu* 1-loculatum dicunt, cui sententiae et ego assentior, etsi hinc inde bacca 2-loculata reperiatur; s. fructus abortu 1-loculatus est, germen, e quo enatus est, certe plus, quam unicum loculum habere oportet!

Memecylon tinctorium Koen.

Quoad spec. cf. Wght. et Arn. Prdr. I. 319. 984. et citat. Bl. Bydr. 1094., qui fasciculos umbellatos laudat, frustra quaerendos! — Wght. et Arn. l. c., eosque sequens Wlp. Rprt. II. 148. 6269. 1., varietates binas ex apice foliorum obtuso s. retuso s. plus minus acuminato enumerant, quae omnia folia autem in eadem stirpe saepe reperire possunt, uti et autores ipsi indicant, delineationem Roxburghii medium inter hasce varietates tenere. *M. laxiflorum DeC.* Prdr. III. 6. 7., cui nostrum adjunxit, certe sat diversum habendum erit!

Descrpt. Frutex (haud arborescens nec sua sponte, nec in horto nostro cultus) altit. 10 — 12 pedum; rami teretes, juniores badii glaberrimi ad foliorum insertionem incrassati; folia breviter petiolata coriacea ovato-oblonga aut elliptica obtuse acuminata, acuta, obtusa imoque retusa mucronulata, glaberrima integerrima 1-nervia, margine cartilagineo diaphano cincta, 3 — 5 poll. longa, 1,5 — 2,2 poll. lata; corymbi parvi axillares aut laterales, singuli, bini ternive sibi invicem superpositi, trichotomi ad ramificationes minute bracteolati, pedicelli 0,1 — 0,2 poll. vix longi (0,1 — 1,0 poll. long. Wght. Arn.) minute bibracteolati; flores densi; calyx roseus, tubus turbinatus minutus, limbus urceolatus obsolete 4-dentatus; petala 4 subrotunda acuta azurea coriacea patentia, calycis limbo summo insiden-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0182-4

tia; stamina 8 longitudine fere petalorum (plerumque longiora Wght. Arn.). Germen in fundo calycis eique adnatum 8-loculatum; in loculo quoque gemmula solitaria; stylus filiformis exsertus; bacca calycis limbo coronata sanguinea oblonga subcurvata 1- (rarius 2-) loculata; loculi monospermi; semen erectum, paulo supra extremitatem inferiorem affixum, ovale aut obverse ovoideum laeve nitidum; testa crustacea; embryum exalbuminosum inflexum; radicula 0,15 — 0,25 poll. longa subflexuosa lateralis apice versus hilum in extremitate seminis inferiore spectans; cotyledones maximae foliaceae inflexae complicato-convolutae; plumula minuta conspicua.

Nomen sundense: *Kidjambeh*, derivatum e verbis *Ki* (lignum) et *djambeh* (Areca Catechu, vulgo a Malaiis *Pinang* dicta.).

Lythrarieae Jss. Endl. Gen. 1198. Ench. 641.

Lawsonia alba Lam. α. alba Hsskl. β. miniata Hsskl.

Quoad spec. cf. Wght. et Arn. Prdr. I. 307. et cit. add. Wlld. Sp. pl. II. 344. et 345. Bl. Bydr. 1128. sub *L. inermi L.*, quam summo jure jam Roxburgh (Wght. et Arn. l. c.) a *L. spinosa L.* haud diversam censet, solummodo loco natali sterili nimis sicca orta esse videtur ulterior. — Descriptionem fusiorem vid. Rmph. Amb. IV. p. 42. — Habeo autem varietatem ab auctoribus, utut videtur, nondum observatam, corollae colore tantum distinctam; petala in priore pallide sulphurea aut flavescentia et marcescentia et emarcida colorem hunc retinent; in ulteriore autem vix aperta pariter pallide sulphurea evadunt, sed jam paulo post in arbore viva et in ramulis abscissis laete miniantur, ita ut arboris aut fruticis varietas jam per magnam distantiam distinguere possimus; quoad folia aut partes alias nulla differentia adparet et inde dubius sum, an forsan *L. coccinea Sm.* an *L. purpurea Lam.* hujus loci? sed foliorum forma hanc opinionem contradicit, cf. Hsskl. Diagn. nov. 146. et Catal. Hrt. bog. 1135. 2. adnt. Nomen malaicum et sundense: *Patjar tjina* (chinensis) s. *P. koekoe*, quod verbum ulterius „unguem" significat, ob usum a foliis hujus arboris ad rubendos ungues digitorum factum!

Lagerstroemia indica L.

Quoad Genus cf. spec. seq.

Quoad spec. cf. Wlld. Sp. pl. II. 1178. Sprg. Syst. VI. 603. Lam. Ill. t. 743. f. 1. DeC. Prdr. III. 93. 1. Wght. Arn. Prdr. I. 308. 951. Rmph. amb. VII. p. 61. t. 28.; cujus descriptio quadrat nostram, sed folia delineavit oblonga acuta, observans, quaedam tantum esse rotunda! — Nostra planta e *Japonia* allata plane convenit cum diagnosibus imoque descriptione Rumphii, exceptis foliis quae omnia ovato-subrotunda acuta saepeque emarginata aut subbifida habeo; flores punicei.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0183-9

Adambea glabra Lam.

Quoad Genus. Genus *Adambea* Lam. Ill. t. 473. Dct. I. 39. restituendum erit ob calycis sinus dentibus interjectis obsitos nec vacuos, tubumque longitudinaliter plicato-sulcatum; intermedium genus inter *Lagerstroemiam* et *Lafoensiam* cf. Hsskl. Diagn. nov. 141. Catal. Hrt. bog. 1137. — Omnes autores (Wlld. Sp. pl. II. 1178. Sprg. Gen. 2161. DeC. Prdr. III. 93. Wght. et Arn. Prdr. I. 308. Endl. Gen. pl. 6164. etc.) sinus limbi calycis vacuos laudant, solo Blumeo (Bydr. 1127.) excepto, qui dentes laciniis interjectos primo (secundum Rheed. mal. IV. t. 21. 22.) descripsit; pari jure autem aut majori dicere possimus calycis limbum 12-dentatum, dentibus externis minimis, internis hosce alternantibus majoribus ovatis acutis patentibus; inter omnes cl. Blume characterem optime descripsit, antheras autem habeo incumbentes, connectivo maximo glanduloso glabro nitenti, loculis marginaliter adnatis; germinis loculi pluri-ovulati; capsula plane eadem ac Endl. Sppl. III. 5424/1. *Schimae* Rnwdt. sed columna seminifera *Gordoniae Ellis* (Endl. Gen. 5424. et Sppl.) imo quoque semina epiptera! —

Quoad spec. cf. Wght. et Arn. Prdr. I. 308. 953. et citat. add. Wlld. Sp. pl. II. 1178. Bl. Bydr. 1127. — Arbor elegantissima in anthesi tota floribus tecta; folia 5—9 poll. longa, 3—4,5 poll. lata, panicula 10—12 poll. alta; alabastra obconica apice applanata vix acutiuscula, dentes calycis externi nunc erecti, interni alabastrum valvatim claudentes; petala crispato-undulata lilacina (nec pallide rosea, vespere purpurea DeC. l. c.) vespertino tempore pallidiora, cum ungue brevi diametro pollicari; capsula haud calyce cincta (Endl. Gen.) sed calyce rupto placentiformi patente suffulta; semina 0,5 poll. longa, 0,2 poll. lata rubiginosa, ala ferruginea.

Nomen sundense: *Bungur.*

Oenothereae Endl. Gen. 1188.

Jussieua repens L. DeC. Prdr. III. 54. 13—15.

Quoad speciem cf. inprimis Wght. et Arn. Prdr. I. 335. 1040., qui summo jure hanc speciem cum *J. fluviatili Bl.* DeC. Prdr. III. 54. 13. conjungunt; pari modo jam ante hos quatuor annos ad eandem *J. Swartzianam* DeC. Prdr. l. c. 15. reduxi et hanc sententiam nunc affirmatam video in Wlprs. Rprt. II. 72. 1.

Folia in nostris speciminibus sunt subobovata aut obovata oblonga acutiuscula, saepius rotundata rarius retusa, bracteolae squamulaeformes nunc rudimentariae concavae calyci adpressae, callum fingentes; calyx fere glaberrimus hinc inde autem et praeprimis ad angulos subinconspicuos singulis villis praeditus, nunquam autem (in nostris) subvillosus; petala obovata subemarginata alba basi flava, calycis laciniis vix majora. — Nomen sundense totius generis *Aroy*

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0184-5

gagabussan, derivatum a verbis aroy = herba scandens aut repens et *yabus* piscis quidam, qui forsan folia comedi solet.

Jussieua Blumeana DeC. Prdr. III. 55. 24.

Quoad Gen. cf. DeC. l. c. cum citat. Rami divaricati; folia 2—3 poll. longa, 0,5 poll. lata; pedunculus 0,2 poll. crassus; petala obovata, calycis laciniis sublongiora, 0,25—0,3 poll. longa, aurantiaca nervoso-striata; capsulae obsolete tetragonae versus apicem sensim incrassatae 1,0 — 1,5 poll. longae, angulis puberis caeterum glabriusculis.

Alangieae DeC. Endl. Gen. p. 1184. Sppl. III. p. 101. Ench. 633.

Marlea tomentosa Endl.

Quoad Gen. cf. Endl. Gen. 6097. et Sppl III. l. c. cum Endl. Gen. 4260*. Enchir. 4587/1. Hsskl. Adnot. 786.a 759. (p. 18.) Catal. hrt. bog. 786.a pag. 169. — Calycis limbus autem 10-dentatus, germen semi-inferum, filamenta libera versus apicem et in connectivo sericeo-pilosa! —

Quoad speciem cf. Bl. Bydr. 657. et Hsskl. Adnot. l. c. Catal. hrt. bog. l. c. Arbor alta. Folia ramorum uberiorum lata oblique cordata sub 3—5-angulata 5-lobata.

Nomen sundense, *Kisürrilie* et *Kilutung*, e fructibus nigris, nam *Sürrilie* et *Lutung* sunt nomina simiarum binarum nigrarum.

Combretaceae RBr. Endl. Gen. pag. 1179. Ench. 631.

Bucida nitida Hsskl.

Quoad Gen. cf. Endl. Gen. 6075. Bl. Bydr. 643.; sed calycis limbus campanulatus; filamenta omnia subaequalia! —

Quoad spec. cf. Hsskl. Diagn. nov. 144. B. Buceras Bl. Bydr. 644. nec L. DeC. Prdr. III. 10. 1. Lam. Ill. t. 356., a qua nostra differt: foliis obovatis apice rotundatis aut retusis supra nitidissimis convexis, subtus plus minus concavis nitidis, coriaceis dimidio minoribus (Lam. l. c.), spicis lateralibus multo minoribus vix dimidium pollicem longis; calycis tubus subcylindricus, medio incrassatus, limbus brevis sed latus campanulatus 5-dentatus deciduus (nec calyx totus deciduus Bl.); filamenta subaequalia erecta albida.

Frutex ramosissimus elegans a Sundensibus: *Binang* dictus.

Terminalia Catappa L.

Quoad spec. cf. Hsskl. Adnot. 1112. 2. et Catal. p. 253.; ubi pariter ac Wght. et Arn. Prdr. I. 313. 965. (Wlp. Rprt. II. 60.) T. Catappam Lam. et T. moluccanam in unam speciem conjunxi; foliorum forma enim quoad basin maxime variabilis (cf. Rmph. I. t. 68.) pariter ac pubescentia, quae in turionibus ar-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0185-1

boribusque junioribus saepe mollis et egregia reperitur, dum in robustioribus plerumque evanescit; attuli plantas e littoribus australibus Javae occidentalis, nullo modo a junioribus in horto nostro botanico cultis distinguendas; hanc ob causam varietates, quas Wght. et Arn. l. c. (Wlp.) laudat, accipere haud possum, et mea opinione color et magnitudo fructuum meliorem distinctionis normam praebent. Inde distinxi:

α. *macrocarpa Hsskl.* (Catappa domestica Rmph. amb. I. 174. t. 68.) fructibus majoribus rubris, quam varietatem Sundenses *Katappang gedeh*, Malaici: *Katappang besaar* dicunt;

β. *rhodocarpa Hsskl.* (Catappa littorea Rumph. l. c. 175.?) fructibus minoribus rubris, a Sundensibus: *K. bürrüm*, a Malaicis: *K. meerha* nominata;

γ. *chlorocarpa Hsskl.* (Catappa sylvestris Rmph. l. c. 175.?) cujus nomen est sundense: *K. boddas*, malaicum: *K. putie* (quae nomina specifica: *alba* significant), fructibus minoribus viridi-flavescentibus distincta.

Poivrea coccinea DeC.

Quoad Genus cf. Endl. Gen. 6086. sed antherae dorso medio affixae ad insertionem bipartitae pendulae.

Quoad spec. cf. DeC. Prdr. III. 18. 5. Combretum purpureum Wlld. Sp. pl. II. 319. 3. Bl. Bydr. 640. Sprg. S. V. II. 331. 2.

Folia ovato-oblonga coriacea breviter acuteque acuminata 5 poll. longa, 2,7 poll. lata, utrinque subnitida, petiolo canaliculato vix pollicari; racemi secundi bracteati, bracteae lineari-lanceolatae; bracteolae minutae lineari-subulatae; pedunculi 0,2 poll. longi in calycis tubum ovario connatum incrassati; calyx glaber, tubus teres sub-5-gonus infra limbum campanulatum 5-dentatum constrictus, petala punicea (nec coccinea! (DeC.) nec purpurea (Bl.) et inde nomen specificum esset mutandum! cf. Hsskl. Diagn. nov. 142. Cat. hrt. bog. 1114. 1.) ovata acuta patentia, calycis lacinias alternantia; filamenta et stylus punicei exserti erecti; antherae dorso medio affixae ad insertionem bipartitae pendulae; stigma punctiforme truncatum!

Combretum Wallichii DeC.

Quoad spec. cf. DeC. Prdr. III. 21. 32. et Hsskl. Adnot. 1115. 1. Catal. p. 253. adnot. (3.) ubi *C. micropetalo* DeC. l. c. 19. 8. magnopere affine dixi! a quo autem (e diagnosi citata!) differt nostrum: foliis nunc ellipticis nunc ovalibus basi rotundatis, apice breviter acuminatis mucronulatis, bracteolis ante anthesin lineari-subulatis caducis, in anthesi evanidis. Affinitas magna adest ad C. Wightianum Wll. (Wght. et. Arn. Prdr. I. 317. 981. (Wlp. Rprt. II. 67. 30.), quod autem spicis elongatis, bracteolis et forsan aliis signis diversum videtur. Reperi speciem hancce a Sundensibus: *Aroy tukkul takkal mienjak* nuncupatam una cum *C. latifolio Bl.*, quod: *Aroy kirappat* s. *Aroy balieng-*

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0186-7

bieng (Averrhoa scandens, ob fructuum formam iis Averrhoae similem) dicunt, in sylvaticis montosis Javae occidentalis altitudine 400 ped. supra mare.

Cacoucia lucida Hsskl. Diagn. nov. 143. Catal. hrt. bog. 1116. 1.

Quoad spec. Combretum lucidum Bl. Bydr. 641. Cacoucia? trifoliata DeC. Prdr. III. 22. 3.

Folia nunc ovato-lanceolata acuminata, nunc ovali-oblonga aut oblongo-lanceolata reperiuntur 3 — 7,5 poll. longa, 1,0 — 3,3 poll. lata; flores: calycis limbus campanulato-patens 5-dentatus villosissimus, in fertilibus *persistens* viridi-flavescens; petala 5 linearia albida complicata, longitudine calycis dentes vix superantia; fructus (immat.) sessiles pollicem et dimidium aequantes, apice calyce emarcido saepe coronati et hoc dein delabente, fasciculo pilorum erectorum remanente, glaberrimi plerumque alis 5 rarius 4 — 6 — 9 praediti, basi subtruncati, apice acutiusculi. — Folia saepius (an ab insectis quibusdam laesa?) crispato-convoluta subtus tomentosa evadunt; rarius autem terna saepius bina aut quaterna reperiuntur! — inde nomen specificum Candolleanum Blumeano postponendum. Sundenses hanc speciem: *Kitjallung aroy* dicunt.

Quisqualis indica L.

Quoad Gen. cf. Endl. Gen. 6039.

Quoad spec. cf. Wght. et Arn. Prdr. I. 318. 982., qui ob pubescentiam foliorum variantem *Q. indicam Brm.* et *Q. glabram* conjunguut; cf. Wlp. Rprt. II. 68. 1.; in horto Bogoriensi autem culta utramque sat distinctam per annos tres aut quatuor observavi et inde in Catalogo hrt. bog. quasi species distinctas enumeravi. Descriptionem optimam vid. in Rmph. hrb. aub. V. p. 71. et 72., ubi et sufficienter de corollae colore variabili dicitur.

Balsamineae A. Rich. Endl. Gem. 1173. Ench. 625.

Impatiens Balsamina L.

α. vulgaris Wght. Arn. *αβ.* sylvestris Wght. et Arn. Prdr. I. 136. 442. 1. *β.* Wllpr. in Rprt. I. 467. 6060. 1. varietates binas Wght. et Arn. recepit, subvarietates autem omisit! I. cornuta L. Wlld. Sp. pl. I. 1174. Hsskl. Adnot. 1109. 3. et Catal. hrt. bog. p. 252. adn. 1. Balsamina latifolia? Bl. nec DeC.! Summo jure autores Prdr. fl. Ind. Balsaminam latifoliam Burm. Thes. zeyl. 41. t. 16. 1. huc citant et adnotant flores haud bonos esse depictos, sed jam ipse Burmann dicit pedunculos ex errore graphico infraaxillares ortos esse et planta nostra praeter hos et petala paullo majora plane iconem quadrat,

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0187-3

minime autem illam Rheedii (mal. IX. t. 48.), quam ad I. latifoliam L. jure censent Wght. et Arn. DeC. et autores. Nomen sundaicum: *Patjar löwüng* i. e. Impatiens sylvestris.

Impatiens (Balsamina) micrantha Bl.

Quoad spec. cf. Bl. Bydr. 240. (Wlp. Rprt. I. 474. 58.) nec I. micrantha D. Don. (Wlp. l. c. 472. 45.) quae jam foliis alternis floribusque racemosis diversa, etsi in reliquis affinitas quaedam apparet, qua re Steudel Nomcl. bot. ed. II., hanc ad *I. leptoceras* Wll. reduxit, sed dubiose, uti et Donniana species huc est relata (cf. Wlp. l. c.) forsan e Dtr. Synops. 847. 27.?

Oxalideae DeC. Endl. Gen. p. 1171. Ench. 624.

Oxalis debilis Kth. fl. plen.

Quoad spec. cf. DeC. Prdr. I. 695. 67. (Wlp. Rprt. I. 481. 61.) differt nostra: pedunculis 6 — 10-floris 2 — 3-fidis, pedicellis nunc 2-floris nunc ad medium bracteolatis nutantibus, sepalis sub apice striis geminis linearibus aurantiaceis notatis. Sepala? et stamina in petala mutata.

Averrhoa Bilimbi L.

Quoad spec. cf. Wlld. Sp. pl. II. 749. 1. Wght. et Arn. Prdr. I. 142. 465. cum citatis. — Descriptionem optimam vid. in Rmph. amb. V. p. 118. et 119. cui addenda haecce habeo:

Rhachis foliorum basi incrassata 14 — 18 poll. longa, foliolorum paria 14 — 16; foliola (nec solummodo oblongo-lanceolata 5 — 10-paria Wght. et Arn.) accrescentia, inferiora ovata acuminata basi cordata inaequilatera 0,9 poll. longa, intermedia ovato-lanceolata, summa oblongo-lanceolata basi rotundata subcordata 3,0 poll. longa, subtus cum petiolulis minimis rhachique pubescentia; racemi axillares plerumque e foliis delapsis laterales aggregati; calyx purpureus pubescens persistens, cylindrico-connivens, fructifer patentissimus; petala longe exserta atrosanguinea obovato-oblonga, ad faucem et basin albescentia; stamina 10 pentadynama, 5 minora calyce vix longiora, 5 majora petalis breviora, filamenta alba, antherae minutae; stigmata filamenta minora haud excedentia.

Nomen malaicum et sundense: *Blimbieng beussie*, a quo nomine anteriori certe specificum Linnaeanum ortum est, dum posterius „ferrum aut ferreum“ significat.

Averrhoa Carambola L.

Quoad speciem cf. Wlld. Sp. pl. II. 750. 2. Bl. Bydr. 242. Wght. et Arn. Prdr. I. 141. 464. et cit. Descriptionem vid. apud Rmph. amb. I. 115., cui addam: Folia accrescenti-imparique-pinnata, foliola saepe alterna; stamina 10.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0188-8

quorum 5 solummodo antherifera; stigmata antheras excedentia; petala rosea conniventia; racemi saepius axillares. — Nomen malaicum: *Blimbieng manies* i. e. dulcis; n. sundaicum *Tjalingtjing*.

Geraniaceae DeC. Endl. Gen. pag. 1166. Ench. 619.

Geranium maculatum L.

DeC. Prdr. I. 642. 38. an *G. palustre Thnb.* Fl. Jap. 268.? nec L. DeC. l. c. 41., nostrum e Japonia missum floribus minoribus gaudet calycibusque aristatis!

(Continuabitur.)

Kleinere Mittheilungen.

Abhandlung über das Mutterkorn und einige geschlechtslose Pflanzen, welche als Schmarotzer auf Kornähren wachsen; von Fée. Strassburg 1843. 4. p. 43. mit 2 Taf.

Diese Arbeit wurde zur Berichtigung und Nachuntersuchung unternommen, da dem Verf., trotz der vielen Schriften über diesen Gegenstand, derselbe noch nicht im Klaren schien.

Wir übergehen die gegebene ältere Geschichte der stets näher dringenden Forschungen und Vermuthungen, können jedoch nicht umhin, zu bemerken, dass Meyen's Untersuchungen dem Verfasser unbekannt geblieben sind. Lange waren gar unrichtige Ansichten im Gange und auch DeCandolle's Abhandlung, die das Mutterkorn als *Sclerotium* bezeichnete, nützte dadurch wenig, weil jene Gattung gar manche erst in der Entwicklung begriffene Pilz-Gebilde umfasst. Jene Ansicht ging ohne Prüfung in viele Lehrbücher und auf noch mehr Schüler über. Leveillé trat der Wahrheit näher und erklärte, dass es ein Pilz sey, welcher an der Spitze des Fruchtknotens sich bilde und, die Entwicklung des letztern verhindernd, das Product herbeiführe. Weniger gut charakterisirte und studirte es Fries. Quekett nahm einen Pilz dafür an (Ergotoecia), der auch auf andern Pflanzentheilen wachsen kann, welche Angabe F. Bauer aus England bestritt. Verf. will mehr den Bau darstellen, als Berichtigungen über den systematischen Werth der aufgestellten Gattungen geben. Auch die ausführlich gegebenen physikalischen Merkmale und das Vorkommen übergehen wir als bekannt. Vom Erscheinen des Mutterkorns sagt Verf., dass es mit der Befruchtung gleichzeitig ist oder vielmehr vorangeht (eine Unbestimmtheit in der Hauptsache). Der Ergotismus (die Bildung des Mutterkorns) scheint nicht mehr möglich, wenn die Befruchtung geschehen ist. Alle Ursachen, welche diese verhindern, können daher jenen veranlassen; dazu gehören: Regen, feuchte Winde, Nachbar-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0189-7

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1844

Band/Volume: 27

Autor(en)/Author(s): Hasskarl C.

Artikel/Article: Plantarum javanicarum aut novarum aut minus cognitarum adumbrationes 599-609